

terat, aëre interceptis; quæ liquoris colorati & aëris inconspicui alternatio gratissima accidit spectatorum oculis.

Phæn. II.

Phæn. III.

III. Jucundior autem adhuc alternorum horum cylindrulorum, per tubuli flexuras hîc ascendentium, ibi descendendum, alibi transversim ac horizontaliter laterum, successiva proreptatio aut retromeatio, prout vel ambiens aër naturaliter magis incalescit aut refrigeratur, vel primis digitis globulus A prensatur, aut ab horum amplexu liberatur. Jucundissimum omnium erat spectatu, cum admoto lampadi globulo, posteaquam liquorem sufficientem jam receperat, hic subito per omnes flexuras decursu per extremitatem B erectam adinstar fontis salientis exsiliret.

IV. Commodum hoc loco faciemus mentionem *Experimenti novi Stutgardiani*, quod Excell. Dn. *Reiselius* superius laudato SIPHONI WÜRTEMBERGICO subjunxit, simile quodammodo *Experimento Florentino*, quod anno quadragesimo nono hujus seculi *Magnus Hetruriae Dux* è Lynceorum Schola Romani emisit ad *Athanasium Kircherum* & *Raphaëlem Magiottum*, & *Experimento Romano*, quod modo laudati Viri isto priore excitati superaddiderunt, de quibus videri potest à *Reiselio* quoque citatus *P. Schottus* *Mechan. Hydraulico-Pnev. Part. II. Class. I. Mech. VI. p. 292. & seqq.* Differt autem ab istis duobus experimentis hoc novum, *Stutgardianum* dictum, in sequentibus, uti cit. II. fusiùs est legere & ipsimet etiam experti sumus: 1. In *Florentino* tubus est clausus, in *Stutgardiano* apertus perpetuò, in *Romano* nunc clausus nunc apertus alternis: 2. In *Florentino* frigente aquâ ascendit bulla, calente descendit; in *Stutgardiano* contrà, incalescente aquâ de die ab ambiente aëre aut radiis solaribus, ascendit, & refrigeratâ per nocturnum frigus, descendit; cum in *Romano* nec calor nec frigus quidquam agat, sed alternus bullarum libratarum ascensus ac descensus à sola pollicis nunc fortius prementis, nunc cessan-